

de consensu nunc Prelatorum ac regni maiorum principum, quorum consensu & presencia decimas que uulgariter pauperum appellantur de tiundaland, attundaland, fiedhrundaland ecclesie vpsalensi suisque prelati ab antecessoribus nostris ut dictum est libere resignatas ac dimissas auctoritate regia perpetuo confirmamus. Inhibentes ne quis eas de cetero retineat, uel impediatur, prout offensam regiam duxerit euitandam. Et quia super hijs eciam uidimus statutum ecclesie romane seu eius mandatum non cancellatum, nec abolitum aut aliqua sui parte uiciatum, decuit nos hoc presens negocium omni honore prosequi, quia predictae romane ecclesie filij obediencie esse uolumus cum effectu. Declaramus eciam presenti scripto, fundos ecclesiarum liberos esse ab omni iure regio per diocesan vpsalensem, quia predicta vpsalensis ecclesia semper nobis fauorabilis secundum iusticiam exstitit, & ideo inter nos & uenerabilem patrem Dominum. F. quondam archiepiscopum vpsalensem, Telgis in concilio prouinciali sic exstitit ordinatum. Datum apud alsnu. anno domini. M<sup>o</sup>.C<sup>o</sup>.C<sup>o</sup>.LX<sup>o</sup>.X<sup>o</sup>. Nono Jdibus Maij.

Sigillet skadadt.

670.

1279 d. 15 Maj.

Alsnö.

Kon. MAGNUS Is Salubref på Gultabrunna och Ekelang i Erla Socken till Eskilstuna kloster.

A. 3. 1. 1: 4.

Vniuersis christi fidelibus presentes litteras intellecturis, Magnus dei gracia Rex sweuorum salutem christi fidelibus repromissam, Quoniam propter vite fragilis breuitatem hominumque labilem memoriam, que racionabiliter acta sunt processu temporis, frequenter in dubium reuocantur, nisi in scriptis redacta litterarum viuacitate ac testimonio fuerint perhennata, Nos harum serie ad pupplicam tam posteriorum quam presencium proferimus nocionem Quod nos terram XVI:cim solidorum in gultubrunnum que ad coronam pertinebat, pro iusto precio vendidimus uidelicet. XXXII. marcis vsualis monete, Et terram nouem solidorum in ekelang, in ærlasokn abyring que eciam ad coronam pertinebat cum agris pratis siluis nemoribus pascuis piscarijs & quibuslibet suis attinencijs eciam pro iusto precio uidelicet vigintj marchis vsualis monete, sancte domui hospitalis beati johannis baptiste in æskilstunum dimisimus perpetuo posidendam, Transferendo in eiusdem domus fratres dominium & plenam proprietatem dicta predia regendi donandi vendendi obligandi siue quocumque modo voluerint ordinandi pro ipsorum libito uoluntatis, sublata nobis & nostris successoribus omni facultate, sepedicta predia aliquo ingenio repetendi, Quia pro tanto curabimus omnimode, corone

*Sv. Diplom.*

69

plenam satisfaccionem fieri & condignam Quicumque igitur hanc solutionem siue commutationem infringere uel reuocare attemptauerit partem cum dathan & abiron quos terra uiuos absorbit se nouerit habiturum, vt autem istud factum perpetuum obtineat firmitatem, sigillum nostrum. vna cum sigillis dilectorum fratrum nostrorum domini Waldemari & domicelli benedicti nec non reuerendorum patrum dominorum Jacobi vpsalensis archiepiscopi. Henrici lincopensis, bryniulfi scarensis, A. strenginensis, K. abonensis, & asceri vexsionensis, & dominorum Johannis philippi, magni Jonsson byrgeri philippi, & aliorum maiorum regni quorum nomina non sunt annotata presentibus litteris duximus apponenda. Datum alsno anno domini. M°.CC°.LXX°.IX°. proxima secunda feria post ascensionem domini.

Sigillen: N:o 1, 3—5, 7—10, 12—14 finnas; N:o 2, 6, 11, 15, 16 bortfallne.

671.

1279 d. 15 Maj.

Kon. MAGNUS Is Stadfästelse på en öfverenskommelse, hvarigenom BIRGER PHILIPSSON försålt till Östgötha Lagmannen BENGT sin hustru ULFHILDS gårdar Wi och Hoby, och i stället i vederlag lemnat henne gårdarne Ljungås och Frösberg i Westergöthland.

A. 6. a. 1: 17.

Omnibus ad quos littere presentes peruenerint. Magnus dei gracia rex sweorum salutem in domino sempiternam. Tenore presencium constare uolumus euidenter quod birgherus philippi filius in nostra presenciam constitutus duas Curias dilecte vxoris sue domine vlvildis uidelicet wi & hoby domino B. legifero øsgotorum placita inter eos inita conuencione cum omnibus earum attinenciis uendidit, & legali tradicionem appropriauit eidem ab ipso & eius heredibus perpetuo possidendas. Et quia forsitan de iure alienare non potuit sine competenti recompensacione curias memoratas, ad debite compensandum Domine supradicte duas Curias suas in uestroia sitas uidelicet Ijongas, & frøsbærgh cum earum attinenciis eidem pro predictis curiis legitima tradicionem commisit ab ipsa & eius heredibus perpetuo possidendas Nos vero prefatas conuenciones eciam si quid in eis minus legitime actum est cum nostro consilio & potestate regia confirmantes, Inhibemus firmiter & districte ne quis memoratum dominum. B. seu sororem eius super premissis possessionibus aliquatenus inquietare presumat. Ad pleniorum autem premisorum euidentiam & roboris firmitatem sigillum nostrum vna cum dominorum vpsalensis archiepiscopi nec non & lyncopensis, skarensis strængenensis wæxionensis Episcoporum, & swantapole Magni, Johannis filij anundi haraldi filij ac memorati. B. sigillis presentibus litteris duximus appendendum Datum anno domini. M°.CC°.LXX°. Nono. ydus Maij.

Sigillen i gula silkestrådar: N:o 2—8 finnes; N:o 1, 9 bortfallne.